

ista conjunctio actus puri cum tali potentialitate. Quare oportet ulterius ostendere, quod conjunctio actus cum potentia tunc repugnat actui puro, quando actus ipse ex tali conjunctione imperficitur, et ab ipsa potentialitate limitatur, seu contrahitur, quod est quasi infici ab ipsa, et in actualitate minorari, et hoc est de ratione formæ informantis, non autem de ratione formæ terminantis, qualis est subsistentia, et existentia; aut per modum objecti determinantis, qualis est species, quæ vice objecti intellectum actuat. Et ita D. Thomas III contra gentiles, cap. v, ad hoc unicum principium deduxit, quod non repugnat divinam essentiam actuare intellectum per modum formæ intelligibilis, repugnat autem actuare per modum formæ naturalis; quia forma naturalis constituit aliquam naturam, quod essentia divina non potest, cum in se sit perfecta natura: species autem intelligibilis non constituit aliquam naturam cum intellectu, sed perficit ipsum ad intelligendum, quod perfectioni divinæ essentiæ non repugnat. Itaque actuatio illa, quæ removet potentialitatem, constituendo cum ea aliquam tertiam naturam, seu compositum, sine substantiale, sive accidentale, repugnat actui puro, et formæ quæ in se omnino perfecta est, non vero quæ naturam jam constitutam, et compositam terminat, et quasi ad consortium alicujus suppositi, et totius trahit; multo minus, quæ per modum objecti intelligibiliter tantum informat, vel perficit. Et ratio est, quia forma, quæ componit, et constituit cum altero aliquod tertium, semper comparatur ad illud totum, ut principium quo, seu ut pars, et illud tertium ut quoddam totum constitutum, et semper omne totum est majus sua parte, et pars minor toto; et constituens minus est constituto,

cum non adæquet illum, sed altera comparte, aut constituente indigeat ad hoc ut resultet, et constituatur ipsum totum.

XXXVI. Quare forma constituens aliquam naturam, seu aliquod tertium, si est forma accidentalis, clarum est, quod est multo inferior ipso toto, et ipso subjecto, cui inhæret, si quidem ab eo sustentatur, et sic purus actus esse non potest, sed admiscet potentialitatem ex ipso ordine, et dependentia a subjecto quod in potentia est ad ipsum. Si vero est forma substantialis, hoc ipso est forma incompleta, et imperfecta, atque ex ipsa receptione in materia, potentialitatem contrahit. Quod si est forma totalis, non constituet aliquam tertiam naturam, cum alia comparte, seu extremo, sed solum indigebit terminari, et compleri termino subsistentiæ, non compositione naturæ. Quare cum forma informans, et constituens, seu componens aliquod tertium, idem sit; illi actui seu formæ, cui repugnat constituere tertiam naturam, repugnat informare.

XXXVII. Et confirmatur, quia vel illud tertium informatione resultans, aliquid potentialitatis habet, vel non; sed est actus purus. Si est actus purus, est ipsa divina essentia, et sic idem erit forma, et informatum, nec resultabit aliquid ex illa, nec aliquod tertium constituetur: si enim id quod resultat actus purus est, et id quod informat, seu constituit, id est, ipsa forma, informans, actus purus est; ergo tantum, et idem omnino est forma, quæ se habet ut quo, et constitutum, quod se habet ut quod; atque adeo ibi non est forma, neque informatio, sed omnimoda identitas, cum totum sit actus purus. Si vero tertium, quod resultat non est actus purus; ergo potentialitatem admiscet: ergo informando constituet actus purus,

rem potentialem, et inferiorem se, quia illud totum resultans, cum sit aliquid potentiale, minus est, et inferius actu puro. Erit ergo participatum ab illo, non constitutum per illum. Quod enim constituitur aliqua forma, non potest esse inferius, et minus illa, si quidem includit illam (utpote formam sui) et addit aliquid, quod ab illa formatur, et constituitur. Repugnat ergo quod divina essentia constituat aliquam rem creatam, et potentialem, et consequenter quod informet constituendo tertiam aliquam naturam.

XXXVIII. Quomodo vero in unione qua unitur Persona divina ut subsistens, vel essentia divina ut species intelligibilis, non inveniatur informatio, quæ constituat tertium, cum tamen potentialitatem tollat naturæ, ut terminetur et subsistat intellectus, ut formetur et fecundetur objecto, in solutione difficultatum in oppositum dicetur. Nunc sufficit advertere, quod neque persona unita, et communicata alicui naturæ constituit aliquam tertiam naturam, sed solum trahit ad consortium Personæ divinæ creatam naturam jam in se constitutam, licet nondum terminatam. Unde unio et communicatio subsistentiæ, non est informatio ad constituendum, sed ad terminandum constitutum; nec tollit potentialitatem naturæ in suis prædicatis intrinsecis, et in sui constitutione, et formatione remanentem, sed potentialitatem extrinsecam, ut res ipsa constituta terminetur, et tali modo existat; quæ est potentialitas rei constitutæ ad modum existendi, non potentialitas, ut aliquid constituatur. Species etiam intelligibilis non præbet intellectui virtutem, aut aliquod tertium constituit, prout intelligibiliter objectum repræsentat; sed tantum objective determinat intellectum, ut patiat talem notitiam circa tale objectum,

ubi non est informatio entitativa, id est, constituens entitatem aliquam, vel objecti, vel intellectus, vel virtutis, aut alicujus tertii intelligentis, sed tantum repræsentativa, seu intelligibilis communicatio, qua potentia fit ipsummet objectum intelligibili modo, seu representativo, ut notitiam de illo pariat, ut latius explicavimus I tomo, I part. disputat. XIII, articulo IV.

XXXIX. Secunda propositio supra posita, quod intelligere seu intellectio, ut reddat intelligentem, requirit informationem veram, et propriam, non solam terminationem, sicut subsistentia, vel existentia, aut intentionalis, seu objectiva informatio, seu repræsentatio; ex eo deducitur, quia cognitio est actus secundus vitalis, et immanens, et sic constituit ipsum operantem in se intrinsece actuatum, et reductum de potentia ad actum in aliqua specie vitalis ad quam est in potentia, et a quo immanenter perficitur, et intrinsece. Unde sicut albedo, vel calor, aut habitus sunt formæ specificæ, id est, speciem determinatam præbentes, ideoque non per terminationem, sed per informationem veram, et propriam debent subjectum afficere; ita et actus immanens, seu operatio, cum actus vitalis, et immanens sit, debet specificam aliquam rationem præbere subjecto, et consequenter informare ipsum, constituendo speciem aliquam in illo genere operationis, sicut albedo constituit album, et calor calidum, in aliqua specie determinata accidentali.

Deinde, quia operatio, neque est forma intentionalis, seu repræsentativa in esse intelligibili, neque terminativa, sicut subsistentia, et existentia; ergo informativa, sicut quælibet forma dans specificationem, constituensque naturam aliquam per se primo. Non est forma inten-

tionalis, seu repræsentativa, quia operatio paritur a specie, procedit enim cognitio a potentia, et objecto; parit autem speciem expressam, seu verbum, quia hoc aliqua operatio est. Quod si sit operatio immanens volitiva, seu extra intellectum, multo minus repræsentativa forma est, cum extra potentiam cognoscitivam non detur repræsentatio. Nec est subsistentia, vel existentia, quia supponit intellectum existentem, quem informat, vel a quo procedit, nec intellectus ipse subsistit, sed operans, cui non dat subsistentiam operatio, sed supponit, cum procedat ab operante subsistente. Et licet D. Thomas aliquando comparet intelligere ipsi existentiae, seu esse, hoc non est in genere entitativo, sed intelligibili, quia sicut esse est ultimus actus entitativus, sic intelligere est ultimus operative, et intelligibiliter; et quia immanens est, magis assimilatur existentiae in actuando intellectum, non tamen entitatem intellectus existentem reddit; præsertim cum intelligere sit multiplex, esse vero seu existentia intellectus, una, quia idem semper manet, et existit pro omnibus intellectionibus. In Deo tamen ubi intelligere est ipsa substantia, et ultimus actus et purus naturæ intellectivæ, bene stat, quod intelligere sit esse, potius quam operatio: quia non est intelligere, ut procedens (sic enim distingueretur a suo principio, a quo procederet) sed ut actualitas pura, et ultima intellectivæ naturæ, et gradus. Et tamen ibi etiam specificationem suam habet actus ille, et non solum dat esse, constituitque ipsum divinum intelligere in illa specie, seu quidditate divinæ naturæ, et intellectionis. In creatis vero necesse est, quod intelligere operatio sit, et operatio diversa, atque adeo unaquæque speciem suam constituet juxta diversum objectum, seu

rationem formalem, non vero est ipsa existentia, vel subsistentia intellectus, aut intelligentis; quia hæc unica est pro multis operationibus. Operatio ergo non est forma terminans, sed informans, et speciem naturæ, quidditatisque constituens, non constitutam supponens, et complective solum, vel objective actuans.

XL. Ex his autem duabus propositionibus hucusque explicatis et probatis manifeste deducitur implicatio, et repugnantia communicandi divinam intellectionem, seu operationem quamlibet divinam creato intellectui, ita ut reddat illum operantem, vel intelligentem. Etenim operatio non potest aliquem operantem a se distinctum constituere, et reddere operantem, nisi aliquid talis operantis sit, pertinet enim operatio ad operantem, quia illum in ratione operantis constituit. Non potest autem operatio aliqua ad operantem pertinere, et aliquid illius esse, quando operatio distinguitur, seu non identificatur cum operante, nisi mediante habitudine aliqua effectus, vel causæ. Effectus quidem, ut si operatio procedat ab operante; causæ vero formalis, ut si operatio informet operantem, illumque formaliter in ratione operantis constituat. Alio modo non apparet, quomodo operatio possit ad operantem pertinere, et aliquid illius esse; non enim operatio est prædicatum intrinsecum, aut pars operantis, vel ejus existentia, aut complementum intrinsecum; quia sine illa esse potest operans, et modo illam operationem habere. Solum ergo potest ipsi annecti, et conjungi, vel habitudine effectus, vel habitudine causæ formalis. Neutram habitudinem potest Deus subire, sed utraque illi repugnat. De habitudine effectus manifestum est: cum divina entitas a causalitate creata

procedere non possit. De habitudine causæ probatum est, quia si operatio aliquam causalitatem habet ad constituendum operantem, est causalitas formalis; sicut enim calidum constituitur calore, et album albedine, ita operans operatione, nec enim aliam causam formalem habet. Hæc autem formalis causalitas repugnat Deo, quando est causalitas proprie informativa, et constitutiva alicujus speciei, aut naturæ, non pure terminativa, aut repræsentativa; operatio autem si formaliter constituit operantem, debet esse per modum causæ formalis informantis, quia constituitur operans in tali specie, et ratione operantis per operationem, sicut per alia accidentia subjectum constituitur in specie talis accidentis: sicut album constituitur albedine, et calidum calore in ratione specifica calidi et albi. Ergo talis informatio repugnat Deo, (ut ostensum est) quia non se habet ut informatio terminativa, vel objectiva, seu repræsentativa.

XLI. Et hoc totum complexus est D. Thomas illa unica ratione supra allata ex illa quæstione nona, III parte, articulo primo videlicet, quod intelligere divinum non potest communicari animæ Christi: quia intelligere divinum est substantia, et anima est extraneæ naturæ, et sic non potest illud intelligere esse actus ejus. Et iterum, quod sicut divinitas non potest esse actus corporis, ut corpus per eam formaliter vivat; ita non potest esse actus animæ, ut per eam formaliter intelligat. Quibus rationibus D. Thomas intendit excludere impossibilitatem informationis, qua divinum intelligere animam informet; de hoc enim solum poterat dubitari, an repugnaret ipsi intelligere divino. Quod enim repugnet alio modo reddi illud intelligere actum animæ, et operationem ejus dici, nempe vel ratione

processionis ab intellectu animæ, vel ratione identificationis cum illo, sicut intelligere Dei est idem cum sua substantia, manifestius erat, quam ut probatione indigeret: nam quod non possit ab intellectu procedere constat, quia divinum est, nec potest exire, et causari a creatura: quod vero identificari non possit cum intellectu creato constat, quia extranea natura est res creata, ab illo intelligere: non ergo identificabile cum illo. Solum ergo restabat dubium, an posset informare intellectum creatum, illumque intelligentem constituere per informationem: nam per terminationem sicut subsistentia, vel per objectivam repræsentationem sicut species, non potest in præsentia fieri, ut manifestum est, cum intellectio nec species sit, vice objecti repræsentans, neque subsistentia, aut existentia intellectus. Informatio autem non terminativa, sed constitutiva alicujus naturæ, per modum formæ informantis, omnino repugnat actui puro, ut ostensum est; propter imperfectionem quam talis forma importat in informando sive informet accidentaliter, et inhærendo sive substantialiter, et constituendo sicut forma materiam informat, et constituit totum, atque adeo est minor illo, utpote pars ejus. Utrumque vero modum informandi sive ut forma substantialis, sive accidentalis, exclusit D. Thomas unico verbo, dicendo: « Quia divinum intelligere est substantia, » scilicet substantia perfecta, et completa, non imperfecta, et incompleta; hæc enim locum non habet in eo, quod divinum est. Et sic non est accidentaliter forma, quia substantia; neque substantialis, quia substantia perfecta, non ergo forma est.

XLII. Ad rationes dubitandi a principio respondetur. Ad primam quæ in generali impugnat implica-

tiones allatas, dicimus esse diversam rationem de specie intelligibili, et subsistentia ex una parte, et intellectione ex alia. Nam intellectio ex suo formali conceptu, et in quantum perfectio est, non aliter perficit intellectum, quam aliæ formæ, seu perfectiones afficientes subjectum, et constituentes suam speciem, et quidditatem. Species autem ex sua formali ratione non est forma subjectiva, sed objectiva: quod vero inhæreat, materialiter et per accidens ei convenit, scilicet quatenus accidens est. De se enim et ex formali sua ratione, solum est repræsentatio, et vices gerens objecti, et ipsum objectum, ut objectum intellectus, non entitative, sed intelligibiliter illum specificat, et informat, si quidem objectum non dat suum effectum formalem entitativum potentiæ cognoscenti, nec enim color reddit coloratum visum, aut visionem, licet specificet illam. Quare objectum cognoscibiliter actuans, et informans, non informat, neque actuat entitative, et constituendo speciem aliquam entitativam, sed tantum objective, et intelligibiliter determinat, quæ determinatio realis quidem est, et a parte rei inventa; non tamen dicitur entitativa, quia non ordinatur ad constituendam naturam aliquam entitative, sed ad determinandam specificationem actus cognoscibiliter. Et sic totum objectum determinat, et actuat objective intellectum, quod est non actuare informando, sed quasi terminando, et ad suum esse intelligibile, intellectum trahendo. Similiter subsistentia, et existentia, cum sint termini totius, ut quoddam totum est, non se habent ut actus constituentes naturam, sed constitutam supponunt, et solum terminant; existentia quidem, qui totam entitatem rei ultimate ponit extra causas, et se habet tamquam ulti-

mum in quo sistit motus, et actio, posito enim effectum extra causas, cessat actio, et sic non constituit rem, nec pertinet ad prædicatum ejus constitutivum, et intrinsecum, sed ad contingens, quatenus extra causas ponitur: subsistentia vero, quia solum reddit naturam existentem per se, et incommunicabilem, quod etiam non pertinet ad constitutionem naturæ, sed ad terminationem, et statum ejus in ratione totius, id est, ut complete, et in se, atque incommunicabiliter existentis, non ut pars in alio toto, non ut accidens in subjecto. Cæterum operatio, seu intellectio non se habet, ut terminans intellectum operantem, ut in se reddatur totum, neque objective, aut repræsentative, seu intelligibiliter specificans, aut determinans sicut species; quia operatio non reddit repræsentative, sed entitative operantem, aut intelligentem, ideoque informat, et actuat intellectum, sicut reliquæ formæ sua subjecta, quæ ex ipso formali, et quidditativo conceptu suo informant modo imperfecto, id est, tamquam formæ componentes, aut ordinatæ ad esse totius, vel subjecti; non ut trahentes ad suum esse id, cui communicantur.

XLIII. Pro cuius majori claritate est notandum id, in quo maxime distinguuntur formæ informantes, seu constituentes aliquam naturam, seu subjectum, et formæ terminantes: quod primæ in suo modo intrinseco informandi imperfectionem important; secundæ non, sed potius perfectionem in sui communicatione. Differentia stat in hoc, quod licet utraque forma actuat, et perficiat id, quod a se informabile est, tamen forma informans, seu constituens aliquam naturam, est forma incompleta, et trahitur ad esse alterius, vel totius quod constituit; vel subjecti, cui se

communicat: et sic totaliter est forma, quod ordinatur ad aliquid perfectius, quod ex illa consurgit, vel cui se communicat: sicut ex anima, et corpore consurgit homo, qui est aliquid perfectius anima; et ex calore, et corpore fit calidum, quod est perfectius calore ut sic, calor enim a subjecto dependet, non e contra. Quare forma informans, sive sit accidentalis, sive substantialis incompleta, est perfectio non simpliciter, et absolute, et ad se tantum, (ut ita dicam) sed ordinata ad aliquid perfectius a quo vel dependet in esse, ut forma accidentalis in subjecto, vel constituit illud, ut totum ex tali forma constitutum, et omne totum est majus sua parte. Et talis modus informandi imperfectus est, ut de se patet. Nec potest a Deo exerceri, vel suppleri aliquo eminentiori, et perfectiori modo informandi, seu actuandi, quia si Deus non actuat, et informat, ut constituat aliquod tertium, vel ipsum subjectum reddat formatum, et actuatum intrinsece, hoc ipso subtrahit a se officium informandi, et dandi effectum illum formalem, quia si non actuat constituendo illam naturam, et tamen talis natura constituitur in re, per aliquid aliud constituitur, et illud rationem formæ habebit. Si autem non constituitur talis natura in re, ergo neque dabitur forma, seu informatio illius, neque per Deum facta, neque per creaturam, et sic non erit quæstio. Ponere autem informationem sic constituentem illam naturam, vel illud tertium, aut sic actuantem subjectum, est ponere informationem imperfectam in Deo, et actualitatem ejus potentialitati committere, et communicare, quia sic informat, ut constituat totum, quod est majus forma constituyente, et taliter potentialitatem illam actuat, quod ab ea coarctatur, et limitatur

ad illud totum, cuius est pars constituens, quatenus ex illo actu, et illa potentia componitur illud tertium, et sic tam coarctatus debet esse ille actus, qui est pars, et minor illo toto, quam est coarctatum illud totum.

XLIV. At vero forma terminans, seu actus terminans, non sic se habet, nec enim unitur alicui naturæ, ut constituat aliquod totum, ut magis completum, et perfectum, cuius sit pars, sed potius se habet ut ipsum totum, et ipsum completum, ad cuius esse, et ad cuius terminationem trahitur alterum tamquam pars. Unde quia partes perficiunt totum componendo, totum vero perficit partes continendo in esse, et quasi in se terminando, et sustentando (partes enim sunt in toto, ut in re completa, sicut manus, et pes in homine) inde est, quod forma informans, et terminans, opposito respectu inter se comparantur; quia forma informans est sicut pars componens, et actuans, sed cum ordinatione ad totum, ut ad completum, et plenum, forma autem terminans se habet sicut totum ad partes, et sicut actuatio totius, et completi ad id, quod incompletum et minus est. Et ideo prima actuatio, seu informatio ex proprio, et intrinseco modo suo imperfectionem involvit, scilicet, habitudinem partis ad totum, minoris ad majus, incompleti ad plenum et completum: forma vero terminans caret hac imperfectione, quin potius comparatur ad id cui unitur ut completum, et majus ad incompletum et minus; et cum alias sit actus, et perfectio, importat perfectionem sine imperfectione, et minoratione, quæ Deo non repugnat.

XLV. Et tota hæc doctrina elicitur optime ex D. Thoma opuse. II cap. cccxi, ubi explicans unionem incarnationis, quomodo imperfectionem non attulerit Deo, inquit: